



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio Practica ...**

Unà cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

De SS. Missæ Sacrificio Juxta Ritum Romanæ Ecclesiæ offerendo - Unà  
cum Rubricis ejusdem Missæ brevibus Notis illustratis

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1676**

Tit. XXIII. De Agnus Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48307](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48307)

III. Dum dicit Orationem *Libera nos*, Patenam aliquantulum Purificatorio extergens, eamque inter indicem & medium digitum accipiens super Altare erectam tenet, sinistrâ super Corporale posita.

IV. Dum Hostiam frangit, incipiat à Superiori parte, particulam verò in Calicem immittendam, ab inferiori parte in manu sinistra relicta præcidat. Gavant. p. 2. tit. 10. litt. Y.

*Ritus Solemnis.*

I. Finitâ Oratione Dominica Patenam à Diacono accipit, eamque, ut in privata Missa super Altari erectam tenet.

II. Quando vult genuflectere post verba illa *ab omni perturbatione securi* non ipse pallam detrahit, sed Diacono id faciendum relinquit, qui & eadem pallâ iterum cooperit Calicem, postquam particulam Calici Celebrans immerferit.

TITULUS XXIII.

DE AGNUS DEI.

*Ritus Communis.*

I. Semper dicitur *Agnus DEI*, præterquam in Sabbato sancto.

II. Quando dicit bis *Miserere nobis*, & tertiâ vice: *dona nobis pacem*: percutit tribus ultimis dextræ digitis pectus, manu sinistra interim super Altare positâ; quin etiam dextrâ post primum & secundum pectoris pulsum, nisi tam citò dicat illa verba, ut quiescere manus non possit. Deinde junctis super Altare manibus dicit tres Orationes consuetas cum humerorum inclinatione, quia licet Rubrica dicat, *Agnus DEI* inclinato capite dicendum, ipse tamen Ordo Missæ jubet, ut inclinatus (per quam vocem, teste Bauldrio, humerorum inclinatio indicatur) illud pronuntiet, atque adeò priorem Rubricam explicat.

TITULUS XXIV.

DE PACE DANDA.

*Ritus Communis.*

I. IN Missis privatis non datur Pax, nisi quando Prælatus aut Princeps interest. Bauldrius tit. 10.

D 5

II. In